

DE  
VARIIS VIIS

AD

EXCIPIENDA MEDICAMENTA.

---

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAM

ALMAE LUDOVICO MAXIMILIANEAE ORDINI  
MEDICORUM ILLUSTRIS PROPONIT

**FELIX VARA,**

PASSAVIENSIS BAVARUS,

MEDIC., CHIRURG. ARTISQUE OBSTETRICIAE DOCTOR.

---

MONACHII, 1835.

TYPIS MATTHAEI POESSENBACHER.

UNIVERSITÄT MÜNCHEN



UNIVERSITÄT MÜNCHEN

UNIVERSITÄT MÜNCHEN

UNIVERSITÄT MÜNCHEN



UNIVERSITÄT MÜNCHEN

UNIVERSITÄT MÜNCHEN

---

De  
variis viis  
ad

excipienda medicamenta.

---

Medicamenta non nisi contactu cum aliqua corporis parte aegroti vires suas, quae tales exercere possunt. Omnino corporis partes, quae morbi atriā, aditus quoque sunt medicamentis, nimirum superficies humani corporis. —

Tractus intestinorum,  
ab organis ingestionis incipiens, medicamenta suo modo tractare et assimilare valet, quo idonea fiunt, ut organismi partes intimas penetrent. In ventriculo medicamenta maxime mutantur, et, sicuti experimentis in animalibus patefit, dissolvuntur, disjunguntur,

novo modo componuntur, sicque ad faciliorem resorptionem praeparantur. Praeterea vicinia Plexus solaris, nervi vagi, Aortae et Venae cavae effectus medicaminum in ventriculo susceptorum augeri et propagari videtur. Attamen sicuti quaedam Venena e. gr. anquium, animalium rabidorum, Variolarum, ita etiam varia medicamenta multo minus Ventriculum, quam Cutim externam afficere observantur. Porro quod uni animalium speciei Venenum, haud qua tale reliquis speciebus se exhibet; sic capra cicutae magnam copiam sine ullo detrimento comedere potest.

Uti os et ventriculus, item finis intestini crassi, intestinum rectum, excipiendis medicamentis inservit, et quamvis ab intestino recto non tam celeriter absorbeantur, et plurimorum effectus debilior et lentior sit, tamen lentior per anum ingestorum effectus effectum diuturniori compensatur. Praeterea narcotica haud minus agunt per anum, quam per os ingesta, forsitan quia in recto minus decomposita tota quanta sanguini admiscuntur. Intestinum rectum etiam ob consensum et antagonismum cum cerebro, cum ventriculo, et cum organis vicinis, praesertim deglutitione sublata, via magis idonea videtur. —

#### Cutis,

membranis mucoosis, et serosis, et intestinis thoracis et abdominis consensu juncta, locum haud exiguum

et peculiariter dispositum applicandis medicamentis praebet; attamen cutis, nisi fortasse Epidermis detracta est, minorem medicaminis copiam, quam ventriculus recipere et receptam minus perfecte assimilare valet; inde tardior effectus medicaminum per cutim receptorum. Compensantur vero ista incommoda larga cutis extensione, qua de causa major quoque dosis conceditur. Immo nonnulla medicamenta, quae in ventriculo adeo mutantur, quominus effectus evolvi possit, aut quae secundarium effectum turbantem in ventriculo exercent, hac in via minus decomponuntur, ergo minus mutata intimum organismum adeunt. Porro saepe hac via utendum est, si ingestio per os et anum impedita, vel contraindicata, vel si eodem tempore, ut effectus fortior et celerior fiat, major medicamenti copia ingeri debet. —

Maximi momenti apparet cutis applicationi eorum medicamentorum, quae effectum topicum exhibere debent, et ea ipsa reactione varia consilia therapeutica adjuvant. In hoc applicationis modo methodus et forma medicamenti adhibendi tam gravis momenti quoad evolutionem effectus est, ut idem remedium forma varia exhibitum effectus varios producat. Tartarus emeticus, cum axungia cuti inunctus, sive cuti cum emplastro indifferente agglutinatus, exanthema pustulosum, et alcoholis solutus pro usu lotionis adhibitus, exanthema vesiculosum provocat. Idem remedium sub

forma pulveris sive cum muco ex gummatis cuti epidermide privatae applicatum, nauseam et vomitum excitat. Non latet, Mercurialia, praesertim solubilia, balneis adhibita pari modo salivationem provocare uti deglutita, sed et majore copia unquenti mercurialis cuti sine inunctione applicata nonnisi topicum effectum parari.

Cum cutis variis in locis variae quoque texturae, cohaesionis et facultatis sit, locus eligendus est, cui optima therapiae conditio inest. Praeferimus internam superficiem brachiorum, atque femorum, et poplitem epidermide tenui obductum, quippe in quibus major copia vasorum lymphaticorum est. Sub aliis conditionibus is locus applicationi eligitur, qui, cum propinquus aut remotus a parte affecta sit, certum effectum pollicetur: vesicantia suris imponuntur si caput dolet, pectori, si pectus atonice affectum est. —

#### Organa respirationis

viam applicationis gravioris momenti aperiunt, posito ut medicamentorum forma huic organo etiam accommodetur, cum brevissimo itinere medicamenta ad sanguinem proficiscantur. Haec applicationis ratio nonnisi in morbis pulmonum et in asphyxia adhibebatur, medicamentis sub forma vaporis applicatis. —

#### Sensuum organa

quoque nonnullos locos applicationis praebent, quibus

medicamenta excipiuntur, praesertim nervina, quae ex his organis solum systema nervorum excitent. Gustus, quem medicamenta deglutita excitant, effectus provocare potest, qui ad totum organismum extenduntur. Paeterea os, sedes gustus, inservit et applicationi medicamentorum, quae vegetativam vitam excitare debent, et applicationi eorum, quorum effectus nonnisi topicus definitur. —

Membrana mucosa, quae cavum narium obducit, sedes olfactus, inservit applicationi medicamentorum non solum in morbis nasi ipsius sed etiam oculorum et cerebri. — Auditus et visus organa ad applicationem remediorum seliguntur, si *την ψυχήν* et hujus ope totum organismum excitare molimur.

#### Uretra et vagina

inserviunt quidem tantum in morbis ipsarum et connexorum organorum uti vesicae et uteri; experimenta vero conjecturam permittunt, certis sub conditionibus ex hoc loco, interveniente nervorum systemate totum organismum excitari posse: notum est, narcoticis, vesicae iniectionis, soporem effici.

#### Venae.

Etiamsi haec applicationis via rarissima est, et praevium exercitium postulat, sine quo indifferentissima remedia convulsiones et mortem adducunt: ta-

men non omittenda est, ubi auxilium sperandum, quod alia in via obtineri non potest. Cavendum est, in applicatione, ne bulla cum liquida materia injiciatur et ut materia injicienda non solum cum aqua misceri et in ea solvi possit, sed etiam cum sanguine.

---

**THESES.**

---

1. Pathologia lucerna physiologiae.
2. Est distinctio inter dispositionem inflammatoriam et diathesin inflammatoriam.
3. Dispositio facillime morbum inducit;
4. Sed nondum est morbus.
5. In sanatione medicus naturae indicationes sequatur.
6. In quovis morbo constitutio stationaria, annua, endemica respicienda est.
7. Medicamenta in organismo etiam via chymica agere possunt.
8. Certum helminthiaseos signum sola vermium exclusio.
9. Vermium expulsionem haud radicalis helminthiaseos sanatio paratur.
10. Inter medicinam et chirurgiam fines non sunt constituendi.
11. Gangraena est vita mortem appropinquans, sphaecelus jam mors partialis.

12. Nulla est incarceration herniae spasmodica.
13. Induratio a scyrrho longé differt.
14. Ubi carcinoma intra regionis foras sitae terminos continetur, morbi sanatio obtingere potest.
15. Aneurysma fere nunquam compressione sanatur;
16. Ideo ligatura est praeferenda.
17. Amputatio in continuitate extremitatum praeferenda est exarticulationi.
18. Graviditatis signa ante quintum mensem semper dubia.
19. Ubi versio indicata, ibi periculum in mora.
20. Synchronotomia non est commendanda.

### Quaestiones inaugurales:

*Domini Praesidis:* De temperamentis.

*Domini Promovendi:* De viis applicationis medicamentorum.